



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

De malis alicui volitis, §. 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-41773

De Malis alicui volitis.

9 **C**ertum est quando vis, seu desideras inferre malum, proximo, debere te palam Sacerdoti facere, quodnam genus (non vero individuationem) mali inferre concupiveris, an scilicet mortem, an infamiam, an rei familiaris detrimentum? Ratio est quia sicuti ipsa obiecta volita sunt specie diversa, diversumque jus in proximo pariunt: ita ipsi actus voluntatis desiderantis illa inferre, cum diversa lura violent, diversam, specie ultima, malitiam contrahant necesse est.

Dixi (non verò individuationem) quia non est necesse dicere v. g. Volui furari pecuniam, equum, vestem, &c. Ratio est, quia hæc individualitas non af-
fert

fert novum ordinem ad rectam
rationem, &c.

10 Difficultas igitur solum
remanet quando odium sistit in
mero desiderio, sine voluntate
inferendi tale malum; v. g. quan-
do ex odio desiderat quis, ut suus
proximus occidatur, vel pauper-
tate afflicteretur, vel infamia, an
sufficiat sic proponere? Deside-
rari proximo malum grave. Re-
pondeo sufficere. Ratio est, quia
illa omnia, quando sistitur in ea
voluntate inefficaci, sunt contra
Caritatem, veluti in genere,
quã non debemus velle malum
proximo, non vero læditur, nec
lædi desideratur jus particulare.

11 Idem propter eandem ra-
tionem sentiendum de gaudio: si
quis enim v. g. gauderet de mor-
te, de inopia, de dedecore sui ad-
versarii, satis esset si diceret, esse
se toties de gravi proximi malo
delectatum

Petes, si quis delectetur de
malo

malo proximi, v. g. de ejus gravi infamia, & deinde eidem displiceat bonum grave ejusdem, v. g. honor, fama bona, &c. duone peccata specie diversa committit, utraque specialiter palam facienda Confessario: an satis erit dicere, bis per malam voluntatem circa bona vel mala ejusdem proximi Caritatem læsi?

Respondeo, credo satis esse, quia illa duo non afferunt speciem moraliter diversam, cum æquè peccatur contra eandem Caritatis virtutem, & quia unum ex his imbibitur in alio; dum enim gaudeo de malo; nolo illi bonum, seu displicet mihi illius bonum, & dum displicet mihi de illius bono, utique placet contrarium, &c.

CA.